

LECTORI BENEVOLO.

Ix mihi quidquam nunc superest, Optime Lector, quod præfari sit necesse, postquam in præfatione prioris partis omnia, quæ simul etiam ad posteriorem existimauit, necessario insinuanda; insinuauit sat fuisse: quapropter vel esset iterum hic describenda ea præfatio; vel (quod potius est, & commodi-
dus) rogandus & Tu ipse; vt eam consulas. Rogo te igitur, vt inde reconoscas ea, quæ mihi pro meo instituto visa fuerunt præfanda communiter tum ad illam nimirum, tum ad istam Philosophiæ sacræ partem: opto enim etiam nunc, vt ea non leuiter prænotentur. In particulari tamen tria sunt, quæ breuiter ad hanc partem censui præmonenda. Primum est, propositum hic esse mihi, vt physice, ac vi luminis naturalis; quanquam adhibitis etiam, ybi opus est, sacris fidei luminibus, prout in fronte libri expressi; agam de iis, quæ Theologia habet, seu quoad substantiam, seu quoad modum physica, vel similia physicis circa actus humanos, eorumque principia tum naturalia, tum supernaturalia in ordine ad vitam æternam consequendam: sic tamen physicas eorum actuum conditiones conabor exponere, vt (quod omnino necesse est) morales non prætermittam; eamque præcipue pertractabo, quæ spectat ad libertatem libero arbitrio propriam; & moralitatem; hoc est, meriti atque demeriti fundatricem. Alterum est, ex vi huius propositi me quidem consequenter acturum de diuina gratia tum habituali, tum actuali, prout hæ sunt actuum humanorum, in ordine (vt dixi) ad meritum vitæ æternæ, principia. Sed sic tamen de illis agam, vt non ad eas de Auxiliis controversias vllatenus deflecam, quas agitari vetuerunt summi Pontifices: nam sicut in supra indicata præfatione insinuabam, expectabo donec eas tractari placeat S. Sedi. Interim ergo de iis tantum rebus agam, de quibus passim Scholastici Doctores disputare solent. Atque insuper quæcunque seu circa eas, seu circa alias dixerò, volo dicta sine contentione, aut animo reprehendendi; sed solo studio veritatis; quantum quidem hanc licuerit assequi rationibus ingenue proferendis. Tertium est sententiam de conditionibus physicis entitatiuis actuum humanorum, quam cap. 13. exposui, & sequor; non tantum non officere doctrinæ de moralibus eorumdem conditionibus; vel etiam doctrinæ, quæ tum de necessitate est, tum de efficacia gratiæ in operibus vitæ christianæ (vt videre poteris in prolegomenis) sed è contra, prodesse plurimum, & facilitatem non leuem conciliare. Vale: & si quid minus apte dictum inuenieris, ignosce; quæcunque autem bona videris, Deo tribue.